

quam humiliter, dicens, domine non sum dignus vt in tres sub testum meū &c. Vterque ergo secundum fidem suā exaudiri meruit & curari. Hanc fidem imitemur oportet, si Christo ecclesię sponso copulari volumus & in regni filios adoptari. Dedit enim eis potestatem filios Dei fieri qui credunt in nomine eius. Ioan. 1.

Petere
quid de-
beamus.

Secundò in specie proponitur nobis primo leprosi petitio prouida, & prudentissima. Prudenter petit, qui quod verè bonum non petit. Quamuis enim Deus vidit cuncta, quę fecerat, & erant valde bona. Gen. 1. non tamen bona petenti. Et quid est bonum petenti? Triplex est bonum. Est bonum semper perse, & summum. Est bonum super, sed nõ summũ. Est bonum quod quandoq; ab usu dicitur malum. Exemplum primi, vt beatitudo obiectiua, Deus ipse, qui est summum bonum. Exemplum secundũ, vt gratia gratum faciens, & virtutes tam infusę quam acquisitę. Exemplum tertium, vt bona corporis, & bona rerum, bona fortunę &c. Prima securę & absolute peti possunt. Sic & secunda, eo quod sunt super bona. Virtutibus enim nemo male vitur, nisi fortę solum obiectiue. Tertia bona, quę quęq; bona dicuntur, non nisi sub conditione, Si vis quia ipso domino volente bonum est, quod aliis non esset bonum, imo quia vult, bonum est, non quia bonum est, vult. Sua enim voluntas regula est omnis bonitatis & iustitię. Quibus ergo bene & male vti possimus, non sunt determinate & per se absolute petenda, sed sub conditione, si Deus videt illa ad salutem nobis esse necessaria, vt sunt bona naturę, dona gratię gratis datę & bona temporalia, & his similia. Hinc doctrinam nobis tradit leprosus, qui desyderabat sanitatem non absolute, sed domino volente. Quia dũ ignoramus, quid petamus, non absolute, sed sub conditione petere debemus. Si enim dominus voluit eum curare, bona fuit eius curatio. At ergo, Si vis potes me mundare. Si nostri sanitatem, pulchritudinem, speciositatem, diuitias, statum

prelacionis, ingenii acumen, industriã &c. mihi esse vtilia ad salutem, adest tibi posse vt consequar hoc vel illud. Cõmisit ergo diuinę voluntati vt curaret eum, si proficuum sibi foret ad salutem quod ipse nesciuit. Ab hoc itaq; neophito in fide & leproso nos in fide Christi à cunabulis enutriti, eruditionem sumere non pigeat, quatenus bona temporalia, naturę & fortunę nec à Deo petamus, nec speremus contra animę nostrę salutem. Melius est vnũ oculũ habentem intrare in regnũ, quam duos habentem mitti in gehennã. Nihil enim bonũ est petenti, nisi quod super & verè est bonũ, vt felicitas æterna & virtutes quę ducunt in via ad terminũ. Illa verò quibus bene vti non possumus ea acceptanda, & quę sine peccato haberi non possunt, petenda nõ sunt. Hic sequitur quod stultę agunt qui simpliciter & absolute petunt à domino infinitatis ablationem, aduersitatis remotionem, item paupertatis & tribulationis absentiam, eo quod frequenter plus saluti proficiant quam prosperitas temporalium. Hinc propheta in psal. Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Et iterum. Quem diligit Deus, corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit. Hebr. 12. Cum ergo in flagellis constituti sumus & periculis &c. petamus eorum ablationem conditione cum leproso, si domino placeat, dicentes, Domine, si vis potes me liberare. Extende vt placeat.

Secundò in specie tangitur in euangelio obedientia diuinę legis omnibus necessaria. Ita enim obediendum est diuinę legi, vt non quæratur, cur ita statutum est? quare me sic finxit? Domini enim est terra & plenitudo eius. In eius ditone cuncta sunt posita. Sufficit scire quia ita volitum & statutum est à Deo & à voluntate diuina summę bona & superrecta. Quæruiit serpens, Cur præcepit vobis Deus &c. Aduertit mulier quæstionem, inquisiuit causam, & decepta est. Sola obedientia, est, quę saluat, & saluauit hominẽ, & angelũ. Vni hominis inobedientia, cunctos Adæ filios

Obedi-
tia diu-
nę legis
est omni-
bus ne-
cessaria.